

CAPVT III.
SECT. II.

DE EXTERNIS EPISTOLA-
RVM PARTIBVS.

I.

EXternas dicimus partes, quæ non in-
grediuntur contextum epistolæ, ^{Externa}
sed vel ante istius initium, vel sub finem, ^{epistola}
vel in facie eius externa ponuntur. * ^{partes,} ^{A quænam}
quibus nos ideo tractationem hanc auspi- ^{sunt?}
camur, quod ad earum nonnullas, epi-
stolæ vniuersæ elaboratio, ceu ad nor-
mam aliquam exigatur.

* Ante initium contextus epistolæ præ-
mittuntur *salutatio, compellatio*; sub finem
adduntur *valedictio, notatio loci ac temporis*
& *subscriptio*; in tergo vero externo po-
nuntur *inscriptio & obsignatio*. De singulis
in hac sectione nunc erit agendum.

II.

Quia igitur primum scire cupi-
mus, a quo & ad quem mittatur epi- ^{Nomen}
stola? propterea Græci pariter ac Ro- ^{scriptoris}
mani in fronte olim epistolæ, primo ^{& saluta-}
loco nomen scribentis; postea eius, ad ^{tionem}
quem scribebatur, ponebant, addita sa- ^{quo posue-}
lutatione. * ^{rint loco} ^{veteres.}